



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Subsectio 12ma. De morali morte animæ per peccatum originale &
actuale ejusquere reviviscentia per contritionem & usum certorum
Sacramentorum,

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](#)

Subiectio 12ma.

*De morali morte animæ per peccatum originale & actuale ejusque reviviscentia per contritionem
& usum certorum Sacramentorum,*

Primo.

De originali peccato & baptismo.

OMNIA Adæ posterorum ordinariâ generatione descendentium voluntates (excipe secundum piam sententiam Deiparam Virginem) alligatae erant voluntati Adæ eo pacto. Ut, si Adam humani generis caput perseveraret in justitia originali, in qua creatus est, omnes posteri in ea quoque renascerentur. Si verò ipse peccaret v. g. per esum pomi prohibiti. Omnes posteri pariter peccarent in & cum Adamo, & amitterent donum justitiae originalis aliaque gratuita dona, ac aliis insuper peccatis involverentur. Ideo nascimur filii iræ. Perseverantia autem moralis peccati istius originalis in se nil aliud est, quam negatio condigne satisfactionis pro illo & condonationis illius. Atque hinc applicata per baptismum condigna satisfactione peccatum originale tollitur, quod ante eum verè cuilibet homini ordinariâ generationis viâ ab Adamo descendenti inest, nec præcisè tantum extrinsecè ob peccatum Adæ imputatur. Consistit autem in duplice jam dictâ nega-

negatione [quæ, quām diu durat, animam Deo
inimicam reddit] non verò ut Lutherani vo-
lunt in qualitate aliqua positiva cunctis homi-
nibus intimè per totam vitam inhærente, &
totam naturam corrupte, vi cuius ad omne
bonum ineptus, & ad malum necessitatus sit
homo. Quia in ipsa natura & essentia hominis
nihil immutatum est. Sed dona gratuita cum
justitia originali per peccatum Adæ moraliter
nostrum sunt subtracta, & variæ inde infirmi-
tates, ut obscuratio intellectus, proclivitas vo-
luntatis ad malum, & rebellio concupiscen-
tia, quæ ante lapsum ex dono gratuito perfe-
ctè suberat rationi, cum variis hujus vitæ mis-
eriis ortæ sunt. Porrò qualitas ista morbida,
quam Sectarii fingunt, cùm sit materialis & phy-
sica, non potest esse peccatum, quia hoc essen-
tialiter est aliquid morale & spirituale scilicet
actus voluntatis. Nec per baptismum tantum
tegitur sive non imputatur originale peccatum,
sed ut jam dictum verè tollitur iuxta illud Joan.
1. *Agnus Dei qui tollit peccatum mundi.* Hinc
ad Titum 6. baptismus vocatur *lavacrum rege-*
nerationis. In quo lavamur & sanctificamur
juxta illud 1. Cor. 6. *Abluti estis, sanctificati*
estis, & quia odio est Deo impius & impietas ejus.
Sap. 14. Hinc, si tantum teatum esset peccatum
per baptismum, deberet adhuc odiisse baptiza-
tum Deus. Leprosus manet leprosus & in se
turpis, licet ejus frides pulchro regantur pal-
lio. Paulus autem dicit per baptismum frides
peccati verè ablui, ut non amplius remaneant.

Ut

502 Pars secunda de elevatione

Ut Christus sanctificaret Ecclesiam, mundans lavacrum aquæ in verbo vita, ut exhiberet ipse sibi gloriosam non habentem NB. maculam aut rugam, Ephes. 5. v. 26. Lutherus & Melanchton corruerunt textum August. l. 1. de Nupt. & Concupis. c. 25. & loco concupiscentia posuere peccatum. S. Doctor autem ibi aliud nil voluit dicere; quæm quod concupiscentia remaneat post baptismum, in peccatum tamen non imputetur, quia peccatum in se non est, sed tantum ejus effectus. Et in Ps. 31. aperte per hæc verba cooperta recta peccata dicit intelligi ea esse abolita. Quorum recta sunt peccata [pergit ibid.] Nec sic intelligatis, peccata cooperta sunt, quasi ibi sunt, & vivant. Per baptismum ergo reviviscit anima per peccatum originale moraliter mortua: Anabaptistæ negant infantes recte baptizari ante usum rationis. Eò quod juxta Lutheri placita ante baptismum debeat doceri baptizandus juxta illud Matth. 28. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c. Et nemo baptizari possit, nisi prius crediderit juxta illud Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Lutherani baptismum quidem infantium recipiunt; sed propter citatos & alios malè intellectos textus admittunt fidem actualē in infantibus. Licet, ut ajunt, modus, quo actum fidei eliciunt, sit inexplicabilis, eumque nos percipere nequeamus. Ecce in Sacramento Eucharistiæ multa negant Secularii, eò quod sint inconceptibilia. Et hic nova mysteria inconceptibilia & nullatenus in verbo

verbo Dei scripto fundata ipsi pro sua libidine fingunt, credique volunt. Calvinistæ neque parvulis neque adultis necessarium esse baptitum volunt saltem si parvuli liberi sint fidelium. Afferentes, quod omnes hi & prædestinati jure hæreditario promissionis fædere Dei ac societate æternæ salutis gaudeant. Contra hos omnes sciendum 1^{mo} Catholicum dogma esse, quod ritè baptizentur parvuli ante usum rationis. Quod, licet adæquate & independenter ab interpretatione Ecclesiæ ex sola Script. evinci non possit, sicut & quod baptismus reiterari non debeat, constat tamen ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ. Sic Dionys. de Eccl. Hierarch. c. ult. *Baptismum parvolorum vocat S. traditionem.* S. Iten. l. 2. c. 39. ait: *Salvari omnes, qui renascuntur per Christum infantes & parvulos & pueros, & juvenes, & senes.* S. Aug. l. 10. de gen. ad litt. c. 23. ait: *Consuetudo matris Ecclesia in baptizandis parvulis nequaquam ferenda est, nec ullo modo superflua deputanda, nec onerino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Ad hanc si recurrere nolunt Lutherani, Calvinistæ, non conyincent Anabaptistam. Cæterum textus, quos ejusmodi Hæreticus pro se adducit, scilicet quod instructio & fides præcedere debeant, intelligendi sunt de adultis baptizandis. Potest etiam inscius subjici Ecclesiæ per baptismum, quia non patitur per hoc injuriam; quod sic subjiciatur Christo per Ecclesiam se gubernanti.

*Sciendum 2^{do}. Infantes dum baptizantur,
non*

504

Pars secunda de elevatione
non habere fidem actualem, quia gratis sine ratione & fundamento hoc fingitur. Et credere essentialiter est actus rationalis intellectualis vitalis à principio intrinseco productus, & consequenter à solo Deo produci non potest actus fidei, nec à parvulo simul propter defectum organi ritè dispositi. Et si Deus produceret illum actum fidei in parvulo ante baptismum, jam parvulus non justificatur per lavacrum regenerationis, quia juxta adversarios sola fides justificat. Si vero tunc dum actualiter confertur baptismus, jam non salvatur textus ab Anabaptista objectus; *qui crediderit, & baptizatus fuerit.* Quia juxta hunc textum fides debet præcedere. Nemo adultus potest placere Deo sine fide actuali & propriâ, parvulus placet Deo fide habituali & alienâ. Habitus fidei cum cæteris donis supernaturalibus & gratiâ sanctificante infunditur parvulis in baptismo. Quando Scriptura justificationem tribuit fidei actuali, loquitur imprimis de adultis, deinde de fide tanquam dispositione inadæquatâ, quam adulti adferre debent ad obtinendam remissionem peccatorum, non enim *sola fides justificat*, & nulla est genuina fides sine operibus bonis. Infantes nulla faciunt bona opera, ergo nec fidem veram actualem habent. Patrini loco infantum promittunt credere in hos illos articulos ratione infantium pro futuro. Propter quam promissionem suo tempore etiam tenentur eos instruere, nisi faciant Parentes vel alii. Augustini verba serm. 14. c. 18. de verb. Ap. *Absit ut ego dicam non*

credentes infantes. Per hæc immediate subseq-
uentia intelliguntur. Nam superius disputavi,
credit in altero, qui peccavit in altero. Quomo-
do Sectarii obsecro corde sincero veram quæ-
runt fidem? qui ita scientes volentes alios trun-
catis textibus conantur decipere.

Sciendum 3riō. Quod baptismus sit absolute
necessarius ad salutem scilicet vel in re vel in vo-
to seu desiderio, quia Christus Joan. 3. abso-
lutè dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spi-
ritu S. non potest introire in regnum Dei.* Ubi
etiam non distinguit inter liberos fidelium &
infidelium, & hæc verba dicebat Christus ad
Nicodemum, qui natus erat à parentibus fide-
libus. Et Paulus pariter ex fidelibus natus etiam
prædestinatus reputabat se nihilominus inter fi-
lios iræ. *Eramus naturâ filii iræ sicut & ceteri.*
Ephel. 3. Ob peccatum scilicet originale in na-
turam humanam transfusum. Probat id ipsum
August. Ep. 28. ad S. Hieron. ex traditione &
sensu Ecclesiæ dicens: *Quisquis dixerit, quod
in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine
Sacramento ejus participatione de vita exeunt.*
Hic profectò & contra Apostolicam prædicationem
venit, & totam condemnat Ecclesiam. Ubi pro-
pereacum baptizandis parvulis festinatur & cur-
ritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Chri-
stovivificari omnino non posse. Lutherani hac in
parte, quod fidelium liberi sine baptismo sal-
ventur, Calvinus accedentes se ipsos jugulant.
Cùm sustineant fidem actualem omnibus esse
absolutè necessariam ad salutem. Atque ideo

Y

contra

506 *Pars secunda de elevatione*
contra lumen naturale eam admittunt in parvu-
lis sub prætextu, quod ante baptismum Scri-
ptura fidem requirat. Et tamen pro absoluta
illa necessitate fidei actualis etiam in parvulis
tam clarum textum adferre non possunt. Quam
hic, nisi quis renatus fuerit Eccl. militat pro ablo-
luta necessitate baptismi. Nec dicas etiam dici
Joan. 3. *Nisi manducaveritis carnem filii homi-
nis, non habebitis vitam in vobis.* Et tamen Eu-
charistiae sumptio parvulis ad salutem non est
necessaria. Nam haec est antiqua traditio & de-
claratio Ecclesiæ ad parvulos extendentis necel-
litatem baptismi, non Eucharistiae, sicut &
quod sit præceptum divinum, ut adulti sumant
Eucharistiam, non verò ut invicem sibi lavent
pedes. Licet Christus utrumque *in imperativo*,
sive id debere fieri dicat. Et videant Lutherani
rejecta traditione, solâ Scripturâ nixi; quid hoc
in puncto respondeant Calvinistis. Non satis
erit dicere ad Eucharistiam requiri, ut suscipiens
probet se ipsum 1. Cor. 11. quod parvuli non
possunt. Nam regeri potest eos æquè se posse
probare, ac credere possunt. Si ergo hoc in
parvulis admittunt Lutherani, cur non & illud?
Liberi fidelium 1. Cor. 7. v. 14. vocantur sancti,
infidelium verò *immundi* non propter sanctita-
tem internam & munditiam cordis, sed quatenus
in Ecclesia nati aditum habent ad baptis-
mum, quo interius sanctificantur. Item quatenus
ex thoro legitimo nati Sancti vocantur
sanctitate Ecclesiastica & civili non spirituali.
Alias enim etiam vir infidelis, quem ibidem

Paulus

Paulus dicit, sanctificari per mulierem fidelem, per eam foret sanctus sanctitate internâ & spirituali. Atque inde patet Paulum h̄ic non velle dicere, liberis fidelium non esse opus baptismō. Ex S. Augustino, qui tam clarè supra citatus loquitur, adducunt in vanum Sectarii textum ex l. 4. de Bapt. c. 24. non adductis aliis ejus verbis. Nam ibi non vult, quod sine baptismō, sive in re sive in voto quis salvari possit. Sed partim loquitur de adultis, qui in re suscipere baptismum non possunt, & suscipiunt in voto, partim de parvulis, quibus ait prodess̄ baptismum, licet nec corde credere, nec fidem ore profiteri possint, & sufficere. Si alius pro eis respondeat, & dicat *Credo*. Quanquam sine hoc baptismus tamen sit validus. Si dicas esse contra misericordiam Dei parvulos fidelium non venire ad cælum defectu baptismi. Respondeo, ergo & infidelium, pro quibus pariter Christus mortuus est. Et utrisque imputari non potest, quod baptismum non receperint. Nec parvulis istis exclusio ista à cælo injuriosa est, quia beatitudo supernaturalis est donum prorsus indebitum; quā privari jure possunt sine actuali & personali propria culpa. Et cur non omnes adulti veniunt ad veram fidem? cur hi potius quam alii ab his illis periculis peccatorum præservantur? & quid tu Hæretice vis appellare ad Dei misericordiam? quem fingis præcipere impossibilia, huic non illi imputare peccata &c. Sufficere debet omnibus, quod Deus infinitè justus & misericors, cuius judicia abyssus

508 *Pars secunda de elevatione*
sus multa, in ordine ad salutem conditionem,
sine qua non, baptismi in re vel in voto appo-
suerit; quia sic voluit. Circumcisio in lege
scripta fuit in masculis necessaria post diem oca-
vum, vel ante hunc *remedium naturæ*. Scilicet
oblatio aliqua & fides parentum. Quo re-
medio etiam succurri debebat fœmellis. In le-
ge Christi baptismus unicum est remedium, cu-
jus figura erat *remedium naturæ & circumcisio*.
Sed necesse non est, ut figura & figuratum in
omnibus convenient.

2dō,

*De morali morte animæ per peccatum actualē
mortale, & ejus reviviscentia per contritiō-
nem. & Sacramentalē Confessionem.*

Anima, quæ actu mortaliter peccat, teste
Script. moritur, sive gratiâ sanctificante
& amicitiâ Dei spoliatur, reviviscit sive gra-
tiam hanc & amicitiam recipit per contritionem;
quæ tamen vera non est, nisi voluntatem &
propositum servandi præcepta, & consequenter
peccata mortalia commissa confundendi includat.
Calvinistæ penitus abominantur hanc peccato-
rum coram Sacerdote Confessionem. V. Calv.
l. 3. Instit. c. 4. §. 19. Lutherani retinent qui-
dem, sed valde mutilant Confessionem. Nam
dicunt 1mō. Eam absolute loquendo non esse
necessariam. 2dō. Sufficere Confessionem pec-
catorum in genere. 3tio. Distinctam & spe-
cialē

cialem omnium peccatorum enumerationem
coram Sacerdote esse juris tantum Ecclesiastici.
Jam contra hæc omnia militant sequentia.
Quod soli Deo peccata confiteri non sufficiat,
patet ex Joan. 20, ubi Christus per hæc verba:
Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &
quorum retinueritis, retenta sunt. Dedit Apo-
stolis eorumque Successoribus potestatem judi-
cialem remittendi fidelibus & retinendi peccata.
Atqui hanc judicialem potestatem frustra dedi-
set Deus, si sibi soli, & non etiam iis voluisset
fieri confessionem peccatorum, ergo. Nam
quomodo Sacerdotes judicabunt de peccatis
vel retinendis vel dimittendis? nisi quantitatem
& qualitatem peccatorum cognoverint; & quo-
modo cognoscant? nisi pœnitentes ipsi ea illis
sincerè confiteantur, & aperiant; hinc Jac. 5.
expressè præcipitur: *Confitemini alterutrum,*
hoc est illis, de quibus immediatè ante Jacobus
loquebatur, *peccata vestra scilicet Presbyteris,*
quibus dictum est: *Quorum remiseritis, & qui-*
bus datum est mysterium reconciliationis, & qui
pro Christo legatione funguntur. 2. Cor. 5. Idecir-
co de primis fidelibus leguntur hæc formalia
Act. 19. v. 18. ad Paulum: *Veniebant multi*
credentium confitentes & annunciantes actus suos,
hoc est offensas seu peccata sua juxta Edit. Syria-
cam & interpret. Chrysost. hom. 41. in Acta
Apost. & patet ex contextu, quod Paulo non
fuerint confessi actus suos bonos & virtuosos
(quod absque eo jactantiam præ se tulisset) sed
peccata. Nam multi NB, ex his confitentibus

510 *Pars secunda de elevatione*
l.c.v. 19. *Qui fuerant curiosa sectati (magica,*
quibus Ephelios, de quibus loquitur textus, ad-
cictissimos fuisse probat Hieron. Præf. in Epist.
ad Ephelios) contulerunt libros, & combusserunt
(in lignum veræ pœnitentiæ) coram omnibus,
& computatis pretiis illorum invenerunt pecuniam
denariorum quinquaginta millium. Ita fortiter
crescebat verbum Dei. Hoc est, combusti libri
æstimati sunt universum quinquaginta millibus
denariorum atticorum seu regalium vel Julio-
rum argenteorum sive quinque millibus aureo-
rum. Unde discant Christiani, si veræ volun-
dare pœnitentiæ signa, libros noxios etiam Ha-
reticorum, quantovis pretio æstimentur, igni-
bis tradere. quia damna, quæ inferunt, nullo
auro pensari possunt. Et ita faciendum sanxe-
runt non modò Canones & CC. sed & Impe-
ratores Honorius, Theodosius &c. Jam ad prius
redeundo S. Clemens D. Petri Discipulus Epist.
I. ad Frat. Dom. dicit instruebat B. Petrus alius
vita sua omni horâ custodire, firmiter scire, co-
gitationes malas mox ad Christum allidere, & Sa-
cerdotibus Domini manifestare. Nolo hic PP.
CC. adferre, ex quibus constantem fuisse praxis
& traditionem Apostolicam de Sacramentali
Confessione in Ecclesia clarè pater. Solidum
argumentum, quo probatur sub speciebus pa-
nis & vini esse Christum, hic quoq[ue] militat. Scí-
licet quòd, si primi Christiani ab Apostolis &
illorum Successoribus non acceperint præce-
ptum confitendi peccata sua Presbyteris ad id
constitutis à Christo esse latum, ostendi debeat,

quo

quo sæculo post Apostolos & primos Christianos sit introductum tam arduum & difficile multis præceptum. Si non possint hoc ostendere, juxta regulam S. Augustini, & secundum rationem sanam procedendo, debet sustineri id esse ab Apostolica traditione. In Conc. Lateran. sub Innoc. III. Anno 1215. non fuit in Ecclesia Latina primùm introducta Confessio. Sed tantum determinatum est tempus Paschale, quo fieri debeat propter S. Communionem hoc tempore præscriptam. Nectarius in Ecclesia græca seu orientali non sustulit Confessionem privatam, sed publicam ob scandalum, quod dedit mulier lapsum suum carnalem cum Diacono publicè confessā. S. Chrysostomus Nectarii Successor etiam tantum improbat ob eandem causam Confessionem publicam. Valdè commendat præterea hom. 2. in Ps. 50. & alibi quotidianum conscientiæ examen, in quo soli Deo fit Confessio peccatorum. Propterea tamen non negat suo tempore faciendam esse Sacerdotibus, quibus teste ipsomet hom. 1. in Ps. 32. tanquam medicis curandorum vulnerum Christus commisit disciplinam. Idem hom. de pœnit. quæ incipit providâ mente, docet ad veram pœnitentiam requiri contritionem in corde, *Confessionem in ore, in opere humilitatem.* Hom. 30. in gen. dicit: *Facienda est diligens & pura peccatorum Confessio.* Quando alii PP. videntur dicere Confessionem esse faciendam Deo intelligunt, Ministrum Dei, quia urgent Confessionem super aë verecundiâ, quæ suboritur, dum homini fit Confessio.

§ 12 *Pars secunda de elevatione*
fessio. Gratianus Compilator decreti, Glossa-
tor ejusdem decreti. Felinus & alii, dicentes
specialem peccatorum Confessionem esse intro-
ductam ab Ecclesia, adeoque non juris divini
errarunt. V. Valentia Tom. 4. d. 7. q. 9. pu. 2.
Nolim tamen dicere eos fuisse in hoc punto
Hæreticos, quia ante Flor. & Trid. Conc. res hæc
non ita clare omnibus constitit. Trid. Sess. 14.
c. 5. sic habet: *Universa Ecclesia semper intellectu*
institutam esse à Domino integrum peccatorum
Confessionem, & omnibus post baptismum lapis
jure divino necessariam existere. Probabiliter in
lege antiqua fuit etiam obligatio peccata coram
Sacerdote exponendi. S. Aug. l. 2. de Visit. In-
firm. c. 5. dicit: *Quacunque mentem gravium ex-*
acerbant facinora, Dei Angelo (Sacerdoti) ma-
festa nihil obscurum dicens. Designanda etiam
fuit in quibus peccasti loca [scilicet sacrilegium
v. g. à simplici furto discernendum] si recorda-
ris, & tempora [scilicet an semel vel bis] cum
quibus personis non nomina ipsarum [v. g. si pec-
casti carnaliter cum ligato voto castitatis] utrum
semel an ex consuetudine, &c. Hec omnia, si tan-
ceantur, vel dicta callide pallientur, animam ju-
gulant (quia unum peccatum non dimittitur
sine altero, & cum nullo stat gratia sanctificans;
quaꝝ acquiritur per legitimam Confessionem)
si denudentur, cum pœnitentia evanescunt. Vi-
plura l. c. cap. 4. Canon 25. Concilii Wor-
matiensis habitu Anno 868. statuit, ut pœni-
tentibus secundum differentiam peccatorum
Sacerdotis arbitrio pœnitentiae decernantur. Et
ut

ut Sacerdos in pœnitentia danda originem inodorumque culparum & affectus gemitusque delinquentium diligenter examinet.

3tiō.

De Confirmatione.

PER Sacramentum Confirmationis augetur gratia, & robur datur specialiter contra tentationes in fide, imprimis simul character, quo adscribitur confirmatus in militiam Christi, sicut per characterem baptismi adscribitur in familiam Christi. Ita Catholici ex perpetua traditione. Sectarii negant hæc, sicut & Confirmationem negant esse Sacramentum. Sed bene Hieron, adversus Luciferianum dicit: *An nescio hunc Ecclesiarum esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, Et ita invocetur Spiritus Sanctus? exigis ubi scriptum sit?* (sic & Veteres Hæretici omnia voluerunt demonstrari ex Script.) in Actibus Apostolorum C. 8. § 19. *Eiam si Scriptura autoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Porro Act. 8. v. 17. Apostoli imponebant manus super illas, *Et accipiebant Spiritum Sanctum.* Et Act. 19. v. 6. *cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos.* Et 2. Cor. 1. *Qui confirmat nos vobiscum in Christo, Et qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit regnum Spiritus in cordibus nostris.*

410.

De Extrema Unctione,

Exrema Unctio est Sacramentum vivorum jam supponens statum gratiae in suscipiente. Per accidens tamen conferre etiam potest primam gratiam sanctificantem, & delere peccatum mortale, si nempè æger [suscipiens enim hoc Sacramentum debet esse Christianus graviter ægrotans, non tamen infans aut perpetuò amens, quia isti non habent reliquias peccatorum, ad quas tollendas institutum est hoc Sacramentum] vel ignorat se esse in peccato mortali, vel propter defectum virium a rationis confiteri nequeat & absoivi. Modò tamen præcesserit aliqua attrito, quæ præsumitur de Catholicis repento periculo oppressis. Et sic effectus Extremæ Unctionis est duplex. *Unus* conferre gratiam sanctificantem, sive facere ut anima reviviscat, si adsit debita dispositio suscipiente. *Alter* conferre gratias actuales, quibus confortatur æger ad ultimam luctam cum Dænone, & simul conferre sanitatem corporis, si expedit vita longior. Quæ omnia eruntur ex Conc. Niceno 1mo & Epist. S. Jacobi c. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbiteros Ecclesie* [NB. non curiæ vel communictatis laicæ, sed Ecclesiæ, id est, Sacerdotes ab Episcopo ordinatos] *Orent super eum oratione* tūm communi tūm Sacramentali (forma enim Sacra-

Sacramenti Extremæ Unctionis est deprecatio-
nia, indulgeat tibi Deus) unguentes eum oleo pro-
priè dicto olivarum per Episcopum consecrato
in nomine Domini, sive nomen Domini super
ipsum invocantes, & oratio fidei seu fidelis, id
est certa & indubitata (qualis est forma hujus
Sacramenti operans certò & infallibiliter ex ope-
re operato) salvabit infirmum, & alleviabit
eum Dominus. Sive conferet infirmo gratiam,
quâ alleviabitur tûm corporaliter, tûm spiritua-
liter accipiendo novum robur, lætitiam, &c. &
si in peccatis sit, remittentur ei. Quomodo id in-
telligendum, paulò antè explicavi. Genevenses
hunc textum sicut plures alios corruperunt. Si-
cuit & Hæretici nolentes sentire cum Ecclesia,
leptenarium Sacmentorum numerum non
admittunt; eò quòd claris Scripturæ verbis hic
probari non possit. Sed sive tantùm duo, sive
tria admittant Sacmenta, numerum præcisè
binarium aut trinarium ex Script. ipsi probare
certè non possunt, sicut multos alios v. g. de
Trinitate &c. fidei articulos. Hinc August. l. 7.
de Trinitate c. 4. dicit: *Dicimus in Deo tres per-*
sonas (distinctas uni naturæ realiter identifica-
tas.) non quia Scriptura [clare] dicit, sed quia
non contradicit. Et id ex verbo habemus tradi-
to. Sectarii requirunt tria ad Sacmentum,
1^{mo}. Signum externum vel elementum. 2^{do}.
Ut ei appromissa sit gratia remissionis peccato-
rum. 3^{tiō}. Institutionem seu mandatum di-
vinum. Quare ergo negant pœnitentiæ,
Extremæ Unctionis, &c. Sacra-
mentum?

316

Pars secunda de elevatione
rum? quæ hæc tria requisita habent. Adde
quod, si illorum principia vera sint, lotio pe-
dum, datio eleemosynæ etiam dici debeant Sa-
cramenta. Nam & hæc continent institutio-
nem seu mandatum divinum, signum externum,
& remissionem peccatorum. Cùm Luc. 12.
dicatur: *Si non lavero te, non habebis partem
meum.* Et vos debetis alter alterius lavare pedes.
Et Luc. 11. *Date eleemosynam,* Ecce omnia
mundæ sunt vobis. Atque hisce finem impono
controversiis eo tantum fine incidenter, prout
materia substrata suggestebat, inspersis. Ut con-
fortareris in unicè salvifica fide, varietas mate-
riarum oblectaret in Domino, & ubi libri tibi
ad manum non sunt (dum Missiones v. g. obis,
aut aliud Apostolicum munus, & vel provo-
catus vel siaviter & dextrè provocans de contro-
versiis in fide cum quocunque deum homi-
num genere docto & indocto ratiocinari debes)
ex hoc *Vade mecum* arma subsidiaria haberes.
Cæterum præter hunc hujus *Vade mecum* finis
secundarium finis ejus primarius est, ut in pro-
emio inculcavi, ut ostensâ ex objectis quibus-
cunque occurrentibus methodo mentem in
Deum ex S. Script. verbis elevandi accenda sis
ad opera quotidiana cò melius peragenda, & ad
salutem perfectionemque propriam & proxi-
morum comparatâ majori divini verbi notitia
ac intelligentiâ strenue & constanter promo-
vendam. Quo ut eò facilius pervenias, præxi-
que hanc tibi omnino familiarem facias; sua-
deo, ut subin per hebdomadam sive sedens sive
obam-

obambulans aut iter faciens ordine in libello
hoc assignato mox ex hoc mox ex illo §. ascen-
siones disponas in corde tuo , ut sic anima tua à
corporeis cupiditatibus libera in aula mentis pos-
sit divinae vacare sapientia. Ubi omni strepitu
terrenarum silentem curarum in meditationibus
sancti & in deliciis latetur aeternis. S. Leo Pa-
pa. Et quia legi & practicari talia volo , non au-
tem , ut curiositatis gratiâ , quomodo hæc vel
illa in sacris litteris intelligenda sint , libellum
subin inspicias. Hinc Indicem nullum adji-
cio contentorum quoad mentis in Deum ele-
vationem ; aut salubria exiit haurienda docu-
menta.

Benè tamen pto majori cōmoditate tua
ubi hujus vel illius controversiæ tractatio tibi
subito usui esse poterit , indiculum controver-
siarum subjicio , & deinceps Analysis seu reso-
lutionem fidei Romano-Catholicæ , & appen-
dicem secundum methodum Veronianam. Quæ
& servient per modum perorationis , in qua
Orator repetitis primatiis motivis auditores
suos urget & commovet. Id quod cona-
tus sum facere in discursu aliquando
habito cum Calvinista à me hic
sub finem exponendo.

